



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.XXXI. Sancti Patris Benedicti. M.LI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

actam gloriosissimè per ingentia merita vitam, magnà miraculorum glorià illustrissimà migravit ad Christum, cujus sacrum corpus, ex ultima procul dubio voluntate, ad locum professionis relatum, ibidem summâ omnium admiratione & veneratione incorruptum servatur & colitur. *Ex monim. Hisp. communis.*

Vin. Egidius Abbas Latensis.
Extinguitur hoc anno perillustre Ordinis in inferiore Germania lumen, Venerabilis Egidius Abbas Latensis; vir per omnia laudatissimus, & propter eximias animi dotes Principibus charissimus, apud quos & clero & populo efficacissimè patrocinatus, verè patrem patriæ egit, & Margaritam inprimis, Belgij Gubernatricem sanctis suis exhortationibus ad optima quæque flexit & Reipublicæ universæ immortaliter consuluit. Restauravit in disciplina & ædificijs monasterium, & magnifici chori fundamenta jecit, in magnis conatibus morte interceptus, cujus inter præclare gesta, hoc longè maximum, quod superstes etiamnum Coadiutorem sibi delegit eximiâ sanctitate virum Ludovicum Bloisium, de Blois, de cujus meritis deinceps dicemus. *Ex monumentis ejusdem Canobij.*

Vin. Joann. Baptista Lucensis.
Transit ad æterna immortalium gaudia sanctæ recordationis Vir Venerabilis Pater Joannes Baptista Lucensis, Camaldulensis sanctissimæ familiæ nostræ lucidissimum sydus, sanctæ Mariæ Magdalensæ Contemplatricis illius & Amatricis Christi mirificæ longè amantissimas, quæ ad ipsum triduo ante mortem, spectabili forma gratiosissimè invisens, lætissimo nuncio beavit, & post triduum carnis solvendum ergastulo prædixit, quo plurimum exhilaratus & ad felicissimam mortem sanctissimè dispositus felicem animam hilaris efflavit. *Ex sape cit. monim. Camald.*

Benedictus Majorica.
Inter viros Ordinis doctissimos, & Philosophos hujus sæculi præstantissimos, floret hoc tempore Benedictus Majoricensis, Monachus Archisterij Romani sancti Pauli extra Urbem, Congregationis Casinensis, qui alia inter. subtilissimi ingenij monumenta scripsit commentaria in Porphyrium, & in Logicam Questiones universales &c.

Inter præstantissimos autem Pontifices, ex Ordine ejusque Monasterijs ad Episcopales Cathedras extractos, exsplendescunt hoc anno Philippus de Cossè Constantiensis in Normannia. Episcopus, Theobaldi de Cossè & Felicitatis de Charno apud S. Julianum filius, Magnus Franciæ Eleemosynarius Cluniacensis Monachus, ad quem scripsit Salomon Macrinus &c. & Eusebius Priolus ex Patricio Veneto Monachus celeberrimi Canobij sancti Michaelis de Murano sacre Congregationis nostræ Camaldulensis Vegiensis Episcopus, de quibus consulendi rerum Cluniac. & Camald. Scriptores.

Philippus de Cossè Episc. Constantiensis.

Eusebius Priolus Venetiensis Episc.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XXXI.
Sancti Patris Benedicti. M. LI.

Summâ in Imperio auctoritate, apud Carolum Augustum, & Ferdinandum Regem gratiâ, eminet Gervicus, ex equestri Blaarerorum de Girsperg & Güttingen familia, Imperialis Canobij Weingartensis lectissimus Abbas, Vir præter generis splendorem & antiquitatem, doctrinâ, facundiâ & Juris, maximè Canonici scientiâ, sed multo magis Forensis sive Civilis praxi & experienciâ spectatissimus, morum insigni venustate, inque rebus agendis admirandâ prorsus dexteritate celebratissimus; inter præcipua Imperij decora, Ordinisque, sed & Ecclesiæ universæ referendus. Is hoc ipso anno, à Ferdinando Rege, uti & superiore ab Augustissimo Cæsare Carolo V. consultationi rerum gravissimarum adhibitus, ita fidem, ingenium, industriam, atque indefessum, in summè arduis Imperij rebus, ac negotijs difficillimis, utriusque probavit, ut exin, multo quidem cum Ordinis, tum Canobij sui honore, sed ingenti sanè onere, & cum periculo gravissimo vitæ summi obire momenti functiones & Legationes cogeretur. Quibus tamen felicissimè perfunctus, Monachorum studia æterno merito, Germaniæ universæ, sed & Ecclesiæ commendavit. De quo suis locis, plura recensenda, occurrent. *Ex Archivo Weingart. & Vita ejusdem.*

Gervicus Blaterus Abb. Weingart.

A Cæsari-bus ad gravissima adhibitus.

Legationes ejusdem.

In inferiore Germania, immortalibus item se meritis commendat Illustrissimus & verè Reverendissimus Wilhelmus Abbas Prumienis Comes de

Wilhelmus Abb. Prumienis.

58
de Manderscheid Vir Religiosissimus & Zelosissimus, ob insignia vita merita, & miram tam in Divinis quam humanis litteris eruditionem, & Juris utriusque profundissimam cognitionem, nec non admiranda cum corporis tum animi talenta & dotes, jam longè ante à Maximiliano I. Imperatore Consiliarius adoptatus, omnibus Imperij Principibus, præter a vita & sanctæ Fidei desertores, gratissimus summoque in respectu habitus. Fuit sacræ Reformationis promotor strenuus, & suum imprimis Monasterium ad amulsum statutorum Bursfeldensis Congregationis composuit, & magna industria, in Catholicis quaqua versum in officio & erga sedem Apostolicam reverentiâ continendis, diligentissimam operam intendit. *Ex monim. Prumiens. & Germania nostra.*

Nec minus solliciti & de suorum solida reformatione & de subditorum salute, sed & veneni Hæreseos passim sparsi extinctione, alij tam superæ quam inferæ Germaniæ Abbates, nulum non lapidem moverunt, quos inter Venerandæ memoriæ Abbas sancti Cornelij ad Jndam Henricus de Binsfeldt, nomen suum magnis meritis commendavit, inter illustriores saculi hujus & Ordinis nostri viros merito celebrandus.

Merentur plurimi Ordinis nostri Abbates de sanctissimo novellæ cultura Patrum Capucinorum Instituto, & in condendis varijs Cænobijs sumptus & alia necessaria suppeditant, maximo ad utilitatem publicam bono, fructu inde maximo, ab optimo eorumdem vitæ exemplo inter fideles consequente.

IESU CHRISTI ANNUM S. M. D. XXXII.
Sancti Patris Benedicti. M. LII.

Vivere inter mortales definit, ut immortalibus jungeretur. hoc anno, Venerabilis Jacqueline de Grandi Prato, Abbatisa S. Petri Remensis, Antiquita verè incomparabilis, quæ vix inaudiens aliquid de Reformatione ferri Ordinis instituta, toto animo efferverescens, cum esset loci princeps & prima omnium, omnes quoque alias antevertere exemplo suo statuit, & quo securius constantiisque rem arduam aggrediretur, prius, quam sibi

creditas Virgines, ad inueta cogeret, in seipsa experiri voluit; & ut non absque arbitro rem susceperet, licentiam ab Eminentissimo S. R. E. Cardinale & Archiepiscopo Remensi Roberto de Lenoncour rogavit & impetravit, cujus consensu Monmortanum initio Cænobium adijt, in quo Reformationem pluribus jam annis viguisse intellexit, ubi decem & octo menses commorata, prima quasi de novo Monachicæ disciplinæ fundamenta posuit. Inde etiam ad S. Mauri Viridunensē, ac deinde ad Calensē sive Chelensē se contulit, ut inde quoque sibi eligeret exemplaria imitanda summæ perfectionis, ubi vis non tanquam Dominam se gerens, sed tanquam vilem Tyrunculam ipsa speculum Zeli ferventissimi, & demississima humilitatis, Rege interim ipso pro Remensibus Ejudem monialibus sollicito, & ut alluiscerent ad reditura Jacquelinæ fervorem, præmittente Annam de Broyat Abbatisam Vallis Gratiæ, quæ interim per annos quatuor Monasterium Jacquelinæ curavit, & Guillelmetam de Bonvalet, cum sex alijs Monialibus Monmartensibus Cænobio introduxit, quarum exemplis, Virgines aliæ salubriter institutæ, deinceps promptius & feliciter ad justâ Jacquelinæ se converterent. Redijt hæc denique egregiè instituta, cumque in omni sanctitate exercitata facem omnibus anteferret, omnesque filias suas magnis demerita esset meritis, ad braviū felicitis vocata æternitatis, læta, & hilaris decessit sexta Febr. ætatis 53. *Ex communicatis à P. Don Amando Tibout Priore Deruensi.*

Diethelmus, ex eadem, de qua supra, Blaarerorum equestri familia quæ vix ulla alia ex equestribus felicior, in tot dandis Imperio Principibus electione creatis Gerwici Abbatis Weingartensis consanguineus, ante biennium Princeps & Abbas S. Galli in Helvetia, electus, in ligni hoc ipso anno generositatis exemplo, nomen suum posteritati commendavit, quando Novatores Hæreticos, Heroico ausu felicissimè terruit, armis etiam quamprimum attrivit, eorumque insolentiam compescuit, & recepto à perduellibus Cænobio, inter circumundique ambientes efferatissimos hostes Zwinglianos

Reforma-
trix stre-
nuæ.

Ven. S. Anna
de Broyat.

Guilbel-
metta de
Bonvalet.

Diethelmus
Abb. S.
Galli.

Obijt Ven.
Jacqueline
Abbatisa S.
Petri Re-
mensis.